AD

VIRUM CLARISSIMUM

FRID. OTT. MENCKENIUM

CONSILIARIUM AULICUM REGIS POLONIÆ,
PUBLICUMQUE LIPSIÆ PROFESS.

EPISTOLA.

VIRO CLARISSIMO

FRID. OTT. MENCKENIO

CONSILIARIO AULICO REGIS POLONIÆ,
PUBLICOQUE LIPSIÆ PROFESS.

A. M. CARD. QUIRINUS
S. R. E. Bibliothecarius, & Epiſc. Brixien.

PRoximo Dominico die, quo perlatæ ad me ſunt literæ tuæ 14. Nov. datæ, meas pariter ad manus pervenerunt Jo. Rudolphi Kieslingii aliæ, adeo a tuis diſpares, ut vix credi poſſit, par iſtud uno eodemque tempore, ex una eademque Urbe, ab hominibus unius ejuſdemque Cœtus, Academici nimirum, proficiſci potuiſſe. Tuæ ſiquidem a capite ad calcem ſuavitatem, & humanitatem unice ſpirant, ſeu dum vota amantiſſime nuncupas pro recta mea valetudine, ſeu dum merita mea (paucula utique) in bonas artes, harumque ſtudioſos agnoſcis, ſeu dum Bibliothecæ meæ eximium paras incrementum, nimirum 4000. Diſſertationum Collectionem, quas Amicorum tuorum aliquis continuo viginti annorum ſpatio, magno ære ſibi redemtas, in præ-

ſens venales offert, quarumque *nulla* (ais pariter ipſe) *vulgaris argumenti, nulla indigna tuis oculis, nulla indocte ſcripta eſt, omnes ad illud literarum genus, cui Te vel maxime favere ſcio, pertinent, quarum denique nemo non poſſeſſione gaudeat*. Kieslingii autem literæ ſecum attulerunt Epiſtolam ab ipſo adornatam, eamque Lipſiæ die x. Nov. impreſſam, qua refutare aggreditur quam ego ad Samuelem Formejum, Regiæ Scientiarum, ac Literarum Academiæ Boruſſicæ Secretarium Perpetuum, ante annum exaraveram; hiſque ille officioſiſſimis verbis me illico ſuæ illius Epiſtolæ initio compellat, *Tanta animi confidentia de Scripturæ Sacræ pretio ab Romanenſibus illi adhibito ſcribis, ut crederes illos ſacris tabulis nihil prius habuiſſe, nihilque antiquius. Aſt enim vero hanc aſtutiam jam dudum obſervavit, & ſatis dextere demonſtravit Dan. Chamierus latere anguem ſub herba.*

Hæc ego in Kieslingii Epiſtola legens, poſtquam ſuaviſſimam tuam oculis uſurpaſſem, obſtupui haud mediocriter ad fortuitum illum occurſum literarum omnino inter ſe pugnantium, moxque, quoniam Kieslingiana memoraverat anguem, in mentem mihi venerunt angues veluti quidam, quos avibus copulatos ad me detuliſſe tabellarius, cui ambas eas literas debebam, dicendus foret, ea uſus quodammodo iſte licentia, quam Horatius initio Epiſtolæ ad Piſones Poetis minime indulſit, dum ſcribit,

Sci-

Scimus & hanc veniam petimusque, damusque vicissim:
Sed non ut placidis coeant immitia, non ut
Serpentes avibus geminentur, tygribus agni.

Multo autem magis obstupui, Kieslingium ibidem toto cœlo aberrantem conspiciens a disputatione inter me, & Formejum excitata. Sita hæc unice erat in demonstrandis Biblicis studiis, quibus se summopere dedisse, advocato etiam linguarum Orientalium præsidio, contendebam ego Viros tot meis lucubrationibus commendatos, Viros maximo in pretio habitos a Paulo III. Pontifice, adhibitosque proinde jugiter ab eodem ad gravissima quævis Ecclesiæ Romanæ negotia pertractanda, Contarenum, inquam, Polum, Sadoletum &c. Huic concertationi sese ultro immiscens Kieslingius, annon oportuisset, ut totis viribus impugnaret ea testimonia, quibus innixus positam a Cardinalibus illis in sacro Codice diurna, nocturnaque manu versando operam celebraveram? Adeo autem abfuit Adversarius meus a testimoniis illis impetendis, ut ne verbulo quidem ea lacessere ausus fuerit, imo (quod incredibile cuivis videbitur) abstinuerit etiam a Cardinalium eorundem tota illa Epistola, quæ tamen 32. paginis constat, vel solo nomine recitando. Itaque volupe illi fuit in aliis quamplurimis paratragœdiari, quæ nihil omnino facerent ad disputationis illius argumentum, quæque vel omnino sunt falsa, vel si aliquo modo vera forent, illustrarent eo magis præstantissimorum Cardi-

dinalium illorum ſtudia, de quibus agitur, eoſque digniores redderent quos Lutherus cum aſſeclis ſuis, ſiquidem ſtudia illa adamabant, ceu ſanæ doctrinæ addictos, Chriſtianæque Eccleſiæ veros Magiſtros, & Patres, tam ipſos, quam Pontificem, quo præſide, & auſpice, imo & largiſſimo remuneratore ſtudia ea optima colebant, ex animo venerarentur, ipſorumque, ut ita dicam, veſtigia adorarent.

Quorſum hæc ad me? dicentem te audire mihi videor, Mencheni. Quorſum hæc? Audias & ipſe quæ ſtatim eloquor. In Actis Eruditorum, quæ te ductore Lipſiæ concinnantur, nuperrime animadverti ſingulari erga me humanitate relatam fuiſſe Junio menſe an. 1748. controverſiam inter me, & Schelhornium habitam, nam hiſce verbis concluditur Scriptoris ad eam rem a Te adhibiti recenſio, *Nos, qui minime id nobis ſumimus, ut in cauſa a doctiſſimis duobus Viris diſceptata judicium noſtrum interponamus, in Schelhornio id unum prædicamus, quod Adverſarium ſuum, cujus in literas merita egregia nunquam ſatis laudari poſſunt, reverenter, ut decebat, habuerit, & exemplum lectoribus præbuerit, quod in controverſiis aliquando imitari poſſint.* Supplex itaque peto, ut paris utique ingenii Scriptorem applices ad Kieslingianam Epiſtolam quam primum in iiſdem Actis recenſendam, æquum ſcilicet, honeſtumque, qui tamen minime refugiat judicium ſuum interponere de lite mihi ab homine illo mota, ſed libere pronunciet, an hic ullo modo

ſua

sua illa Epistola infirmaverit testimonia, quibus laudes a me in Biblicam Procerum meorum literaturam collatas superstruxi; nam id nisi ipse præstiterit, nemo non dicet, oleum, & operam eundem perdidisse. Ea ipsa testimonia, præter Epistolam illam ante annum ad Formejum scriptam, necesse habui iterum inculcare a tribus circiter mensibus in altera ad eundem; quam tamen quoniam non ita cito ad regiones vestras perferri posse confido per sarcinarios currus, quibus post peractas hisce diebus Nundinas Bolzanenses imponentur ejusdem exemplaria juncta pluribus exemplaribus Tomi tertii meorum Commentariorum isthuc pariter devehendis; propterea Epistolam istam tabellariis, cursum per citatos equos conficientibus, committam.

Est aliud quod a Te petam, antequam hasce literas claudam, nimirum, ut agas gratias meo nomine Lipsiensi præstantissimo Archiatro Petro Godefrido Günzio, cujus de meo morbo Consilium Tibi ab eo humaniter traditum mecum communicasti. Arrisit illud, ut facile credes, quammaxime, quoniam statuit ipse, ex omnium corporis mei interiorum, exteriorumque partium, si a cruribus discedas, integritate satis constare, morbo eidem causam dedisse non sanguinis acorem, quicum integritas illa per quinque menses consistere non potuisset, sed minimorum tubulorum in extremo pede laxitatem, forte profectam, ut ego initio opinatus sum, ex calore dumtaxat seu ignis, cui per hiemem

mem assedi, seu pellis ursinæ, per quam una simul crura obvolvebantur. Benigna hæc Æsculapii vestri sententia de morbi mei natura, plus roboris in præsens acquirit, quod ea ipsa integritas intacta adhuc persistat post elapsos jam duos, aut tres alios menses, quod labes omnes e cruribus jam ante plures hebdomadas evanuerint, quod ab initio mensis Novembris spatiari cœperim per ædium mearum conclavia, etiam absque adminiculo, quod denique nullo remedio usus neque interno, neque externo pristinam in extrema ea corporis parte vim ferme totam recuperaverim, adeo ut nudius tertius in Præfat. Tom. III. Commentariorum meorum affirmare valuerim, pancratice me valere. Addam modo, me pari felicitate Romæ post trium mensium moram in lectulo ductam ante septem annos, ut tradidi in Tomo altero ejusdem Operis, ex hoc ipso morbo, quo nunc tentari mihi contigit, convaluisse; idque profecto Günzianam sententiam non probabilem tantum, sed certam reddere posse videtur. Vale.

Brixiæ die III. *Decembris an.* MDCCIL.

P. S. Pro concludenda emtione, de qua superius, privatis literis tecum agam; vereor autem plures ex illis 4000. Dissertationibus extare jam in mea Bibliotheca, quam rarioribus hujuscemodi cupediis rogatu meo ditare suscepit terque quaterque per singulos annos Vir Cl. Schelhornius, Bibliothecarius Memingensis, in earundem pretio dignoscendo utique peritissimus. Vix credo inter illas omnes, quas seu possideo, seu venales offert amicus tuus, ullam reperiri posse adeo insulsam, adeo absurdam, ac Epistolam Kieslingii, quæ meæ isti argumentum ministravit, quaque ille nil aliud sibi proposuisse videtur, nisi ut extra chorum saltaret, nisi ut aerem verberaret. Iterum vale.